Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3290 4° [40:2,-404]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3290 4° [40:2,-404]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3290 4° [40:2,-404]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3290 4° [40:2,-404]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3290 4° [40:2,-404]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3290 4° [40:2,-404]

DA BOX

No 3290.



M Tucher fecit

BIBLIOTHECA
REGIA
HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3290 4° [40:2,-404]

ORATIO FVNEBRIS
MEMORIÆ

ILLVSTRISSI-
MI PRINCIPIS AC
DOMINI, D. PHILIPPI, HÆ-

REDIS NORVEGIÆ: DVCIS SLESVICI,
Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ: Comitis Ol-
denburgæ & Delmenhorſti: *Qui placidè*
obdormivit Gottorpij, die 18. Octo-
bris, Anno 1590.

Debitæ pietatis ergò conſecrata, &
publicè recitata Chi-
lonij, à

M. NICOLAO CORNOPÆO,
Scholæ ibidem Rectore.

LVBECÆ

IN OFFICINA TYPOGRAPHICA
ASSVVERI CROEGERI,
Anno

M. D. XC.

Dn: Hermanno ...

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3290 4° [40:2,-404]

BIBLIOTHECA
REGIA
HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3290 4° [40:2,-404]

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO IOHANNI ADOLPHO,
Archiepiſcopo Bremenſi, & Epiſcopo Lubecenſi, &c.

ET

ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IOHANNI FRIDERICO, FRAtribus: Hæredibus Norwegiæ: Ducibus Sleſvici, Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ: Comitibus Oldenburgæ & Delmenhorſti, &c. Dominis ſuis clementiſsimis.

S. D.

OFFero vobis, Reverendiſſimi Illuſtriſſimiq; Principes, typis deſcriptam Orationem, qua obitum heu nimis immaturum Illuſtriſſimi & generoſiſſimi Principis ac Domini, Domini PHILIPPI, *Ducis Holſatiæ, &c.* Celſ. *Veſtrarum fratris amantiſſimi, Domini noſtri clementiſſimi, pro mea tenuitate, exiguaq; dicendi exercitatione, in præſentia multorum ſapientia, dignitate, eruditione, pietate & virtute præſtantium Virorum, in hac noſtra Repub. lachrymans deploravi.*

Eſt enim pars gratitudinis, debitæ bonis & ſalutaribus patriæ Principibus, non tantùm vivos, velut eximia dona Dei, omnibus reverentiæ & ſubiectionis officiis colere, ſed mortuos etiam præcipuo quodam deſiderio, luctu & celebratione proſequi. Ac ſi aliàs unquam boni & ſalutaris generi humano Principis obitus, acerbis omnium lachrymis deflendus fuit: nunc certè, hoc noſtro Principe PHILIPPO, *Celſ. Veſtrarum fratre, ex his terris ſublato, caſus accidiſſe triſtiſſimus, non noſtræ ſolum Reipub. ſed toti omninò Holſatiæ, exiſtimandus eſt.*

Erat enim hic generoſiſſimus Princeps (quòd quidem omnibus notum eſt, & ſæpè à nobis cum debita erga Deum gratitudine prædicari, & ad poſteritatis quoq; memoriam commemorari debet) excellenti pietate præditus: erat ſinceræ religionis, & doctrinæ noſtrarum Eccleſiarum amantiſſimus: bonos omnes incredibiliter amabat, malos juſto odio proſequebatur: paci, concordiæ & tranquillitati publicæ maximoperè ſtudebat: judicium, juſtitiamq; omnibus ſuæ ditionis ſubditis ex æquo adminiſtrabat: vim injuſtè intentatam à capitibus & fortunis miſerorum ſummo ſtudio propulſare & depellere conabatur. In ſumma, ut paucis plurima complectar, talis omninò erat, ut honorifica Dei appellatio, quæ Pſalmo 82. omnibus piis & Chriſtianis *magiſtratibus à Spiritu ſancto tribuitur, veriſſimè illi competeret. Nam & à Deo ipſo, cum ſummo bonorum omnium gaudio, ad gubernationem paternæ ditionis ſe evectum eſſe intelligebat, & beneficia divina, veram religionem, juſtitiam & pacem ſuis ſubditis impertiri, ſatagebat.*

Tali

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3290 4° [40:2,-404]

Tali igitur Principe, & tàm ſalutari Patre patriæ, quòd propter noſtram ingratitudinem & peccata multiplicia, hoc alieniſſimo Reipub. tempore, his tàm evidentibus ſecuturarum calamitatum præſagiis, nos miſeri orbati ſumus: id verò & privatim ardentiſſimis lachrymis à nobis eſt deplorandum, & luctus ac mœroris noſtri ſignificatio publicè etiam aliis oſtendenda eſt. Quòd quidem ego pro mea mediocritate, nomine noſtræ Reipub. in quam hujus ſanctiſſimi Principis merita extant longè ampliſſima, hac qualicunq́ Oratione efficere conatus ſum.

A vobis autem Reverendiſſimi Illuſtriſſimiq́ Principes, ea qua par eſt animi ſubiectione reverenter peto, vt Celſ. *Veſtræ tenuem hanc opellam, & hoc qualecunq́ teſtificandæ meæ erga piè defunctum Patrem patriæ gratitudinis & obſervantiæ ſtudium in meliorem partem interpretari, & ſereno vultu accipere non dedignentur. Fateor enim hunc excellentiſſimum Principem,* Celſ. *Veſtrarum fratrem, Oratorem longè diſertiorem, atq́ adeò Pericleam quandam aut Demoſthenicam eloquentiam in ſui laudes requiſiviſſe: & agnoſco hanc qualemcunq́, quæ in me eſt, dicendi facultatem longè inferiorem eſſe, quam ut vel leviter adumbrare, nedùm ſuis coloribus exprimere potuerim, illam immenſam Heroicarum virtutum copiam, quibus Heroicum ipſius pectus divinitus colluſtratum fuit. Sed tamen in magnis rebus etiam voluiſſe laudabile eſt.*

Æternus Deus, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, *qui dat ſalutem regibus, Illuſtriſſ.* Celſ. *Veſtras ſuo ſancto Spiritu perpetuò regat & gubernet, easq́ unà cum*

 matre

matre Illuſtriſſ. Domina noſtra Clementiſſima, ad ſui nominis gloriam, & harum regionum ſalutem, quam diutiſſimè incolumes & florentes conſervet; quibus poſt Deum, & me & hanc Rempub. humiliter commendo. Perſcriptum Chilonij, Anno 1590. die 20. Novemb. quo corpus ſanctiſſ. Principis PHILIPPI, *in monumento ſuorum Majorum marmoreo Sleſvigæ honorificè ſepeliebatur.*

Celſ. V. V.

Addictiſſ.

M. Nicolaus Cornopæus.

ORA-

ORATIO.

ERGO illud etiam, Patres civesq; dilectiſsimi, ad cumulandas noſtras miſerias adhuc reſtare viſum fuit: ut poſt ereptum nobis excellentiſsimum illum, & belli paciſq; artibus præſtantiſsimum Principem D. ADOLPHUM, Patrem patriæ: poſt ſublatam è medio generoſi ſanguinis, heroicæq; indolis puellam ELISABETHAM: poſt exemptum è rebus humanis FRIDERICUM Principem, tanto Patre digniſsimum filium, quos omnes intra breve unius anni curriculum mœſti ac lugentes ſepelivimus: etiam hic Illuſtriſsimus & generoſiſsimus Princeps noſter PHILIPPUS, excellentibus ingenii, ſapientiæ, magnitudinis animi, clementiæ, pietatis, fortitudinis, omniumq; heroicarum virtutum dotibus ornatus, in quem mœſtiſsima patria oculos jam ſuos conjecerat, quo & patris ADOLPHI, & FRIDERICI filii, optimorum laudatiſsimorumque Principum, interitum ſolatura, & omnium adverſitatum ſuarum depoſitura memoriam videbatur, nondùm exacto quadriennio, in ipſo ineuntis adoleſcentiæ flore, morte heu nimis immatura nobis eriperetur.

O miſerrimam Holſatiæ ſortem! O inanes fruſtraneaſq; ſpes noſtras! O immenſam atq; intolerabilem Dei omnipotentis iram! Siccinè noſtra præcipitanda fata fuerunt, ut mox poſt Patrem filiumq;, etiam altero filio, & quidem tali

Prin-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3290 4° [40:2,-404]

Principe, tàm juvene, tàm præclaris dotibus ornato, hoc turbulentiſsimo rerum ſtatu, his tàm evidentibus futurarum calamitatum præſagiis, velut flore in herba extincto, eheu miſeri privaremur?

Meritò lachrymis omnium oculi madent, meritò omnia undiq; quærelis gemitibusq; circumſonant. Deflet illuſtriſsima mater, heu toties jam intra tàm breve tempus indigniſsimis, graviſsimisq; doloribus penè exanimata, filium unicè dilectum. Luctu ſqualidi generoſiſsimi Principes noſtri juniores, amantiſsimum fratrem germanum unicè deſiderant, quo extincto magnam ſui partem, & velut alteram manum ſe amiſiſſe ſentiunt. Ipſe ampliſsimorum procerum Senatus, itaq; Nobilitatis congregatio, vultu & veſtitu lugubri doloris ſimul & amoris ſui erga defunctum Principem ſignificationem non ſimulatam edit. Conflictatur acerbiſsimo mœrore univerſa patria, quæ his tàm dubiis ac formidoloſis Chriſtianæ Reipub. temporibus, ſublatis è vita ſereniſsimis Principibus noſtris, ADOLPHO patre & FRIDERICO filio, Patribus patriæ, hujus viciſsim fidei, ſapientiæ, moderationi & induſtriæ tutò ſe commiſſum iri ſentiebat.

In tanto igitur luctu publico, acerbiſsimoq; omnium ordinum mœrore, decet nos quoq;, qui tanquam eiuſdem corporis membra, communibus patriæ commodis incommodisq; unà fruimur, Muſarum & pietatis ſtudiis dediti, doloris & mœſtitiæ noſtræ ſignificationem aliquam oſtendere, & quòd unum à noſtra pietate & grati-

tudine

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3290 4° [40:2,-404]

tudine proficiſci poteſt, triſti & querula oratione communia patriæ fata lamentari.

Quo conſilio, dùm ipſe de hoc Illuſtriſsimo Principe noſtro PHILIPPO, pauca dicturus in hunc locum prodeo (quanquam & orationis meæ macies, & vox lachrymis ac dolore impedita, huic tanto argumento, veſtriſq́; politiſsimis auribus vix factura ſatis videantur) veſtræ, ornatiſsimi Auditores, humanitatis, veſtræ ſingularis benevolentiæ erit, patienter & benignè me audire.

Sed undè initium dicendi faciam? quid prius commemorem, quid poſterius? Solent omnes, qui quempiam laudant, quaſi præſcripto quodam, tacitoq́; conſenſu, à natalium commendatione laudes illius repetere. Vt enim in equis, dignitatem ſoboli adferunt parentum animi, aut firma latera, aut pernicitas, aut pulchritudo: in arboribus autem eæ plerumq́; laudantur, quæ feraci ſolo poſitæ ex optimis ſeminibus coaluerunt: ita etiam in hominibus, honeſto loco clariſq́; parentibus eſſe ortum, ſemper pulcherrimum atq́; honeſtiſsimum habitum fuit. Ex bonis ſiquidem, teſte Euripide, boni procreantur.

Sed hanc laudandi rationem ego mihi in hoc noſtro Principe prætermittendam eſſe putavi, non quòd multa & præclara hac in parte dici non poſsint: ſed quòd neminem eſſe exiſtimem, in hoc ornatiſsimo cœtu, qui neſciat eum ex nobiliſſima totius orbis noſtri Arctoi, Regum Daniæ familia oriundum eſſe: & quòd Patris ADOLPHI, divina quadam & incredibili virtute Principis,

tàm recens apud nos omnes vigeat memoria: Qui non ſolùm domi annis ampliùs quadraginta duobus Rempub. benè laudabiliterq; geſsit, viſitationes Eccleſiarum pias per homines idoneos inſtituit, Scholam illuſtrem Sleſvigæ aperuit, pacem tranquillitatemq; inter ditionis ſuæ terminos tot annis conſervavit: ſed foris etiam apud exteras nationes, apud Belgas, Gallos, Hiſpanos, Anglos, Germanos, virtutis & fortitudinis ſuæ veſtigia reliquit, non preſſa leviter ad exigui laudem temporis, ſed fixa ad memoriam illarum gentium ſempiternam. De quo Principe ADOLPHO plura nunc quidem non dicam, ne, dùm ejus laudes ſingulatim percenſeo, majorem in veſtris animis dolorem, majus deſiderium oratione mea excitem.

Silentio mihi quoq; involuetur FRIDERICVS *I.* Rex Daniæ, hujus noſtri PHILIPPI avus paternus, filius CHRISTIANI illius, qui primus ex antiquiſsima Comitum Oldenburgenſium familia (orta à VVitechindo Magno rege Saxonum) ad capeſſenda regni Daniæ gubernacula eſt accerſitus; cujus poſteritati, Daniam, Holſatiamq; jam annis amplius centum & quadraginta poſsidenti, vt felicem ac ſalutarem gubernationem, & longiſsima vitæ tempora Deus tribuat, obnixè eum ſuppliciterq; rogo.

Tacebitur & clariſsima Lantgraviorum Haſſiæ familia, ex qua hic noſter Princeps maternum genus ducit.

Nihil etiam de vetuſtiſsima celeberrimaq; gente Cymbrorum à me dicetur, qui jam ante na-

tum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3290 4° [40:2,-404]

tum Chriſtum, virtutis ac fortitudinis ſuæ veſtigia ipſi Galliæ, Hiſpaniæ & Italiæ impreſſerunt.

Illud ſaltem dicam, Auditores, quod & ſolidæ laudis commendationem habet, & vos quantumvis mœſtos non ſine voluptate ex me audituros ſpero. Quòd pleriq; faciunt adoleſcentes regii, in tantis aularum delitiis, tàm affluenti rerum copia nati atq; educati, vt liberiorem vitæ rationem ingreſsi, impetu quodam animi naturali, ad neſcio quæ inania ætatis illius oblectamenta ducantur, id hic noſter Princeps, cui nunc more inſtitutoq; Majorum juſta ſolvimus, faciendum ſibi minimè putavit. Nam totum illud lubricum ætatis ſpacium, de conſilio patris ſapientiſsimi, in literis & doctrinis iis, quibus puerilis ætas imbui ad humanitatem ſolet, unà cum fratre ſuo FRIDERICO collocavit, præceptore uſus Antonio Caucio Gallo, homine literatiſsimo, & tùm vitæ ac morum gravitate ſvavi, tùm induſtria ac dexteritate in formandis teneris principum mentibus ſingulari prædito. Sub quo Magiſtro tantùm ipſe & ingenii præſtantia, & aſsiduitate quotidiana profecit, ut præter Latinam, etiam Gallicam linguam mediocriter calleret, & celeberrimas Germaniæ Academias, Heydelbergenſem atq; Argentinenſem, magna cum laude ingenii & doctrinæ, adiret penè puer.

Intelligebat enim & à ſuo præceptore, ſæpè ſibi inculcatum meminerat, vero Principi & futuro gubernatori Reipub. non minus præſidii & veræ dignitatis ſtudia literarum, quam arma bellica, adferre. Cùm Imperatoriam majeſtatem

non ſolùm armis decoratam, verùmetiam legibus (quæ ſine literarum cognitione, neq; legi neq; intelligi poſſunt)oporteat eſſe armatam,ut utrumq; tempus, bellorum & pacis, rectè poſsit gubernari; quemadmodum Imp. Iuſtinianus in prooemio Inſtitutionum, ſplendidè & graviter præfatur. Audierat quoq;, Alphonſum ſapientiſsimum regem Neopolitanum (ut brevitatis cauſa taceam nunc alios) tanta diſcendi cupiditate flagraſſe, ut etiam in caſtris & cæteris profectionibus ſuis ſolitus ſit Bibliothecam ſecum circumvehere. Cumq; ex eo quæreretur, armis nè an libris majorem gratiam deberet, ſapienter & præclarè reſpondiſſe, ex libris ſe & arma & armorum jura didiciſſe.

Sed ad PHILIPPUM noſtrum redeo. Qui cum Philoſophiæ partem illam, quæ mores hominum inſtituit ac format, omnesq; vitæ actiones virtutis norma dirigit, præ cæteris adamatam penitus cognoviſſet: hinc fiebat, ut neq; in illa ætatis inſolentiſsima parte modeſtiam ejus, nec in tanto generis ſplendore comitatem, neq; in reliquis officiis colendis diligentiam, jure quis deſideraret. Singulari quadam erat in Illuſtriſsimos parentes pietate, eximia in ſeniores obſeruantia, incredibili erga omnes humanitate, ut in ſpem certam erigeremur, ab his initiis progreſſam ejus adoleſcentiam, eximium tandem virum, & ſalutarem Reipub. principem, confirmata jam ætate, nobis tradituram. Quem cum ipſa natura ad res magnas gerendas idoneum finxerat, utpote Heroica corporis proceritate, & ſingulari quodam ingenii tùm acumine tùm dexteritate præſtan-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3290 4° [40:2,-404]

ſtantem, & planè patriſſantem: tùm ab iis literis, in quibus maximam ætatis ſuæ partem contriverat, adminiculi plurimum petiturus videbatur.

Etſi enim venando, jaculando, equitando, aliisq; exercitiis equeſtribus, quæ virum Principem decent, plurimum natura capiebatur: tamen non uſq; adeò hiſce oblectamentis ſe totum tradebat, quin interdum etiam ad Muſas & illas humaniores literas, quibus olim puer operam dediſſet, magna cum voluntate rediret. Qua de cauſa virum doctiſsimum Antonium Caucium, quo olim præceptore uſus fuerat, exemplo Auguſti Imp. jam adoleſcens in aulam reuocavit, & ut requirenti ſemper præſtò eſſet, neq; unquam à ſuo latere diſcederet, conclave ſuo proximum, aliaq; munera ampliſsima ipſi attribuit. Tanta flagrabat in Heroico ipſius pectore, non tantùm pietas & gratitudo erga præceptorem benè meritum, ſed & diſcendi cupiditas, ut etiam de minutioribus rebus Scholaſticis, inter tot tantasq; gubernationis moleſtias, cum præceptore veteri non raro colloqueretur

Religionis autem, quam Reverendi patris Lutheri miniſterio Deus his poſtremis ſeneſcentis mundi temporibus ſinceram nobis reddidit, ſi quiſquam alius, profectò hic noſter Princeps amantiſsimus fuit, & communi noſtrarum Eccleſiarum, cùm de aliis fidei articulis, tùm verò & de Euchariſtia doctrinæ, cui à puero innutritus erat, toto pectore ſe aſſentiri luculenter demonſtravit. Cùm enim Reverendus & Clariſsimus Theologus D. D. Paulus ab Eitzen, Eccleſiarum Holſa-

ticarum Superintendens, ante biennium librum edidiſſet idiomate Germanico, in quo duo illi controverſi Articuli de cœna Domini, & de prædeſtinatione, ex limpidiſsimis fontibus Iſraëlis, & perpetuò eruditæ antiquitatis conſenſu, piè orthodoxeq; declarantur: tanto libri illius ſtudio & amore divinitus accenſus fuit, ut non tantùm ipſe à capite ad calcem uſq; diligentiſsimè perlegerit, & in hac pia doctrina conſtanter ſe perſeveraturum affirmaverit, ſed ab omnibus etiam ſuæ ditioni ſubiectis Eccleſiis hunc librum emi, & velut ſingulare κειμήλιον, ad poſteritatis memoriam reponi & aſſervari clementiſsimè voluerit. Cumq; aliquando quidam ex miniſtris aulicis de Iohanne Calvino, Sacramentariorum noſtri temporis Coryphæo, ipſo præſente diſſerere cœpiſſet, & dogmata ipſius propugnare, adeò excanduiſſe fertur, ut ſatis appareret, ipſum Calviniani nominis hoſtem eſſe infenſiſsimum.

Iuſtitiæ verò & concordiæ, tuendæ inter omnes ſuæ ditionis ſubditos, quàm ſtudioſus fuerit, vel ad ſanguinem uſq;, hic inclytus & generoſiſsimus Princeps, nemini noſtrûm obſcurum eſt. Recordamur enim, & quidem grata mente recordamur, cùm periculoſæ quædam diſſenſiones extitiſſent, quæ ipſe mandata dederit, quæ edicta promulgaverit, pertinentia ad communem omnium, cùm civium tùm Nobilium in hiſce Ducatibus ſalutem & tranquillitatem. Atq; utinam quam telam texere cœperat, hanc ipſi per fatorum inclementiam pertexere licuiſſet: Tùm verò communem Patriam noſtram, juſtitia, judiciis,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3290 4° [40:2,-404]

ciis, pietate, modeſtia, tranquillitate, aliisq; officiis Chriſtianis florentem aliquando vidiſſemus. Sed noſtra erga Deum ingratitudo, noſtra heû ſcelera & peccata, hanc tantam felicitatem nobis inviderunt.

Patientia verò & manſuetudine tanta fuit, ut cum multa impedimenta & remoras partim Diaboli inſidiantis aſtutia, partim hominum malevolorum improbitas ſaluberrimæ ipſius gubernationi initio objeciſſent, neq; deeſſent fortaſsis, qui ad alia cruenta conſilia mitiſsimum ipſius pectus inflectere conarentur: tamen ipſe, admirabili quadam bonitate aures illis occludens, ad mitiora remedia ſemper reſpexerit, quæ tandem etiam ſingulari Dei beneficio, & harum regionum commodo invenit & uſurpavit, ſuſcepto fidelitatis juramento ab inclyta horum Ducatuum Nobilitate: id quod factum eſt Flensburgi urbe regia, hujus anni currentis menſe Majo.

Cui felicibus auſpiciis ſuſceptæ gubernationi, ſi diu ipſi præeſſe licuiſſet, magno harum regionum commodo atq; emolumento (ſi noſtra, inquam, ſcelera & peccata hanc nobis felicitatem non invidiſſent) ſic ei omninò præfuturus videbatur, ut & fratribus; non alienis, liberis; non ſeruis ſe imperare, & illi omnium Principi Deo adminiſtrationis ſuæ rationem reddendam ſibi eſſe aliquando meminiſſet. Id enim præclara ejus indoles, mira omnium Heroicarum virtutum copia, incredibile bonarum artium ſtudium, quibus indè uſq; à puero ſe totum tradiderat, evidenter confirmabant.

Verùm

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3290 4° [40:2,-404]

Verùm (ô rem miſeram, & omnium bonorum lachrymis deplorandam) hunc tantæ ſpei Principem, & immortalitate dignum adoleſcentem, quo ſe patria mœſta recreabat ac ſolabatur, de quo cogitans, in quem intuens, omnium, quas hoc infelici ſuo anno excepit, acerbitatum memoriam deponebat, heu nimis immaturè impia fata nobis eripuerunt, annum agentem primum & vigeſimum. Quo anno climacterico multos quoq; alios excellenti virtute Principes, in ipſo rerum præclarè gerendarum limine, jam olim ex hac vita deceſsiſſe meminimus.

Hîc autem patiamini me, Auditores, communem fragilitatem, atq; inconſtantem rerum humanarum ſtatum, in hocce Principis tàm juvenis luctuoſiſsimo triſtiſsimoq; funere, pauliſper deplorare. Xerxen illum potentiſsimum Perſiæ Monarcham, qui decies centena millia armatorum ad debellandam Græciam eduxit, conſcenſo aliquando præcelſo monte, cùm univerſum exercitum diligenter oculis colluſtraſſet, ingentem lachrymarum vim profudiſſe accepimus. Interrogatus autem à quodam è ſuis conſiliariis, cur adeò profuſè lachrymaretur, tali præſertim tamq; numeroſo exercitu inſtructus, reſpondiſſe fertur; juſtiſsimam ſe lachrymandi cauſam habere, dùm animum ſubeat cogitatio, ex tanta hominum multitudine, poſt annos centum, ne unum quidem ſuperſtitem futurum. Vſq; adeò nihil in humanis rebus firmum, nihil ſtabile, nihil diuturnum exiſtere.

Egregia verò vox, & digna tanto Principe ſenten-

ſententia, quæ oſtendit, eum etiam in iſta tanta imperii & potentiæ magnitudine, humanæ tamen vitæ fugacitatem fragilitatemq;, & agnoviſſe ſapienter, & profuſis lachrymis ardenter deploraſſe.

Qua in miſera fataliq; vitæ humanæ breuitate, illud tamen longè miſerrimum atq; acerbiſsimum eſt, quòd ita ferè à natura comparatum videmus, ut quò melior optabiliorq; nobis quiſpiam ſit, eò brevioris ac minus diuturnæ vitæ eſſe conſueverit. Quaſi enim noſtris damnis diteſcere, & ſuæ potentiæ incrementum ſtudeant acquirere, ita in eos potiſsimum, qui præclaris dotibus ac divinis virtutibus quàm maximè excellunt, tanquam de induſtria adverſa Fata irruunt, in eosq; omnem vim ſæuiſsimè exercent, quos nobis præſidio atq; ornamento futuros augurantur.

Cujus quidem ſævitiæ atq; iniquitatis fatorum, cum ſæpè aliàs multa acerbiſsima exempla vidimus; tùm hoc tempore potiſsimum, tuo PHILIPPE princeps Illuſtriſsime, exemplo nimis verè eam, prôh dolor, comperimus. Tu modò excellenti virtute, incredibili ſapientia, ſingulari fortitudine tua omnium oculos animosq; in te convertebas: tibi vitam quam longiſsimam omnes optabamus: te univerſa Patria non Dominum, ſed parentem ſuum ſalutabat: te ipſi lætabantur generoſiſsimi fratres tui, mater voluptatem capiebat, gaudio paſsim boni omnes exultabant. Nunc te (prôh dolor) exanimem cernimus, nunc te cadaver effectum intuemur, in

patrio avitoq; humandum monumento. O infauſtam diem, qua te firmiſsimum futurum nobis præſidium, atq; ornamentum ampliſsimnm amiſimus! O luctuoſam diem, qua nuncium tuæ mortis acerbiſsimum accepimus! O lachrymabilem iterum atq; iterum lucem hanc, qua te vita functum reſcivimus! Adeòne nihil eſt, in quo minus noſtris votis fortuna, quam in earum rerum, quæ hominibus optabiles ac jucundæ ſint, diuturna poſſeſsione reſpondeat. O quanta & quàm gravis in te uno, PHILIPPE princeps optime, univerſæ patriæ jactura facta eſt.

Nam ad cætera tuæ intempeſtivæ mortis incommoda, etiam illud adjungitur, quod hoc tàm miſero ſœculo, tamq; periculoſo tempore, quo undiq; in Eccleſiam, in Rempub. Chriſtianam, in hanc adeò dulciſsimam patriam noſtram, calamitates graves & exitia horrenda impendêre videntur, velut rectorem navis in media tempeſtate, te tantæ ſpei Principem amiſimus.

Etenim circumferte quæſo oculos, Auditores, & quæ ſit rerum facies per univerſam Europam, circumſpicite: & juſtiſsimam lugendi cauſam nos habere fatebimini. Imminet ab ortu Chriſtianis cervicibus immaniſsima Turcarum barbaries, qui quanquam ſemel iterumq; feliciter ſint repreſsi, tamen ſubindè retorquent oculos ad hanc inclytam Germaniam noſtram, quam ſemel è faucibus ſuis ereptam eſſe vehementiſsimè dolent. Parte alia Hiſpanorum natio acerrima, & potentia, fortitudine & rei militaris ſcientia nullis gentibus ſecunda, ditiſsimas amœniſsimasq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3290 4° [40:2,-404]

Belgici provincias, totos jam vinginti quatuor annos populatur. A ſeptentrione Tartarorum & Moſcovitarum potentia terrorem non exiguum vicinis incutit. Galliæ, olim florentiſsimi & potentiſsimi regni, funeſta illa & diuturna bella ciuilia, quò tandem evaſura ſint, non eſt obſcurum. Germania ipſa, & pars Germaniæ hæc noſtra Holſatia, luxu, petulantia, libidinibus, inteſtinis odiis, & aliis ſexcentis ſceleribus fatales pœnas ſibi accelerans (quòd Deus omen clementer avertat) ruinam certiſsimam minatur.

In Eccleſia quoq; triſtiſsima rerum facies eſt. Vigent paſsim inter Theologos virulentiſsima certamina, pullulant immania odia, excitantur ſeditioſæ factiones, ſparguntur contra orthodoxam fidem deteſtabiles errores. Populus ipſe in profanitatem & contumaciam effuſus, rectiora monentium imperium detrectat, & quò cœca libido trahit, inſtar ferocientis equi pleno impetu fertur. In ſumma, undiq; graviſsima nos mala circumſtant, ubiq; gentium armorum exauditur ſtrepitus, creſsit paſsim individua bellorum comes caritas annonæ.

Tali igitur tempore, & hoc periculoſiſsimo totius Chriſtianæ Reipub. ſtatu, quod unius invidæ mortis crudelitas, tribus præſtantiſsimis principibus, patre ADOLPHO, qui ſua ſenili prudentia & autoritate ſingulari ambiguos caſus temperare, & opem ferre rebus labentibus poterat, & FRIDERICO ac PHILIPPO filiis, intra breve quadriennii ſpacium nos miſeros orbauit, id verò acerbiſsimis lachrymis jure eſt deplorandum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3290 4° [40:2,-404]

Mortuo Alexandro Magno, Demades orator Athenienſis dixiſſe fertur, exercitum ejus ſimilem eſſe Cyclopi effoſſo oculo. Quantò juſtius, Auditores, id de nobis hoc tempore uſurpare poſſumus, qui non unum, ſed tres patriæ oculos, & clariſsima lumina tàm brevi intervallo amiſimus. Durus profectò eſt, & ab omni humanitate alienus, cujus animum hæc non percellunt. Impius autem, qui ita præſentium rerum cupiditate afficitur, ut neq; amiſſa bona deplorare, neq; futuros caſus poſsit pertimeſcere.

Nam certè ut fato dantur boni magiſtratus, ita non ſine fato, & ſecuturarum calamitatum præſagio, Principes viri è Repub. tolluntur. Teſtatur id non obſcurè ſacrarum literarum autoritas, fidem facit experientia, & ſtultorum magiſter comprobat eventus. Etenim ſublato è vivis illuſtriſsimo Ægypti principe Ioſepho, cùm regni gubernacula Rex novus ſuſcepiſſet, neſciens Ioſephum, quanta quæſo malorum ilias, quam difficilis & diuturna ſervitus univerſum populum Iſraëliticum excepit, donec poſt annos demùm centum & quadraginta divinitus duce Moyſe liberarentur. Ioſias pius & ſanctus Rex properata morte ad patres ſuos colligitur, ne videat mala, quæ filiis & nepotibus ſuis, totiq; regno poſt ſuum obitum eventura erant. Solomoni quoq; triſtis illa & luctuoſa regni omnium florentiſsimi diſtractio divina voce prædicitur, ſed quæ à morte demùm ipſius, Roboamo filio regni habenas moderante, contigit.

Ex quo perſpicuum eſt, bonorum Princi-

pum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3290 4° [40:2,-404]

pum pia & moderata gubernatione, non ſolùm inhiberi aut mitigari pœnas publicas, ſed eorundem quoq; vel crebrioribus vel præmaturis funeribus, velut infauſto omine, ſecuturas denunciari.

Quòd ipſum etiam de excellentibus & Heroicis doctoribus Eccleſiæ, qui inter nos, tanquam principes Dei extiterunt (ut Hethæi de Abrahamo dicebant) verum eſſe, Auguſtini & Lutheri exempla teſtatum nobis reliquerunt. Quorum ille brevi ante occupatam & devaſtatam à Genſerico rege Vandalorum patriam Hipponem rebus humanis intereſſe deſiit: hujus autem interitum, funeſtiſsimum in Germania bellum civile, captivitas ſanctiſsimorum principum, mutatio veræ religionis, & multarum Eccleſiarum triſtiſſima vaſtitas, ſunt conſecuta.

Quæ cùm ita ſe habeant, nobisq; impendentes pœnas fatales illuſtrium virorum obitu portendi & præſignificari non ſit dubium: ecquis ita durus erit, aut ſalutis publicæ (qua & ſua continetur) tàm negligens, ut à fletu, à lachrymis, à lamentis hoc tempore ſibi temperare poſsit? O acerba decima octava lux Octobris, in quem tu luctum nos conjeciſti, quantum nobis dolorem peperiſti, dùm clementiſsimo principi noſtro PHILIPPO, nobiliſsima ſtirpe regia prognato, honeſtiſsimarum rerũ ſtudiis exculto, ſinceræ religionis, juſtitiæq; amantiſsimo, in ipſo adoleſcentiæ flore, hoc alieniſsimo Reipub. tempore, tàm infelici ſecuturarum calamitatum omine immaturum vitæ finem attuliſti. Quaſi verò infauſtæ

illæ Calendæ Octobris anni octageſimi ſexti, non ſatis triſte & acerbum vulnus, ADOLPHI Patris interitu, nobis inflixiſſent, niſi idem vix dum obductum vulnus, triſtiſsimo PHILIPPI filii fato, tàm ſubitò, tàm inſperatò, tàm indignè refricaretur. Quo Reipub. vulnere, cùm grauiſsimus haud dubiè bonorum omnium animis luctus & dolor ſit concitatus, tùm vos verò, Patres & cives chariſsimi, vos inquam quantùm præſidii, quantùm ornamenti amiſeritis, hoc Principe amiſſo, ſatis mihi demonſtrare videmini, quòd non ſolùm hujus orationis audiendæ cauſa, tanto ſtudio, tàm inuſitata frequentia hûc conveniſtis, verùmetiam lugubri hac & luctuoſa ſpecie fletus, intimi veſtri mœroris, & conceptæ mœſtitiæ ſigna datis non ambigua.

Verùm quando divinæ ſapientiæ ita viſum ſit, ut tàm ſubitò hic noſter illuſtriſsimus Princeps mortali corpore exutus, cum beatiſsimo illo cœleſtium animorum cœtu conjungeretur: Cumque inevitabilis moriendi neceſsitas ex Dei decreto omnes maneat, (pallida enim mors æquo pulſat pede pauperum tabernas, regumq; turres, ut venuſtiſsimè Poëta Venuſinus cecinit) noſtræ pietatis, moderationis, & ſapientiæ erit, huic Dei omnipotentis voluntati & modeſtè & libenter obtemperare, neq; nimio luctu & mærore, quibus non tàm levantur mala, quàm augentur, fruſtra nos conficere.

Noſtra quidem cauſa, uti diximus, meritò dolendum nobis eſt, quòd tàm divino adoleſcente, ſummæq; ſpei Principe, tàm citò ſpoliamur,

magno

magno Reipub. incommodo. Ad ipſum autem ſi oculos animumq; referamus, tantùm abeſt, ut lachrymis & lamentationibus ſit indulgendum, ut potiùs mors ejus beatiſsima ſanctiſsimè actæ vitæ omninò correſpondens, (Nam & vivens ſacra ſynaxi crebrò ac reverenter uſus eſt, & moriens animam his verbis exhalavit: O Deus miſerere mei.) gratulatione nobis proſequenda videatur. Quippe quæ mortalem ipſi quidem vitam eripuit; immortalem Dei beatorumq; ſocietatem non eripuit: ad tempus duraturam corporis præſentiam ex oculis nobis abſtulit; perpetuum ſui deſiderium è pectoribus non delevit. Atqui ea conditione homo natus fuerat, vitamq; hanc terrenam uſui, non mancipio traditam acceperat, ut quandocunq; præpotenti illi rerum omnium moderatori Deo placuiſſet, cœlo inſerendus eam derelinqueret.

Quòd autem celeriùs noſtra vel utilitate, vel opinione ex his terris emigravit, ne id quidem, ſi ipſum ſpectemus, dolendum tantopere videtur. Etenim non malè Poëta quiſpiam Græcus humanam vitam navigationi comparavit. Quemadmodum igitur, multis ſimul mari ſe committentibus, ſi ſæva coörta ſit tempeſtas, felicior is omnium ſuffragiis cenſetur, qui omni ventorum vi, omni pelagi impetu ſuperato, quàm celerrimè in portum optatum provehitur; infelicior autem, qui diù tempeſtuoſis fluctibus jactatur: ita cum hoc noſtro illuſtriſsimo Principe non malè actum eſſe exiſtimabimus, quòd ærumnoſo hujus vitæ ſalo ènavigato, celeriter in beatiſsimum

mum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3290 4° [40:2,-404]

mum illum fidiſsimumq́; regni cœleſtis portum delatus ſit. Neq́; verò ullius hominis non longa ſatis putanda vita eſt, quæ licet brevis ſit tempore, fama tamen & celebritate omnem adæquabit poſteritatis memoriam.

Quare gratulemur noſtro Principi potiùs, quàm doleamus, Auditores, quòd ex hac corporis cuſtodia, ex his mortalis vitæ miſeriis, & ancipiti rerum humanarum mutabilitate eductus, in æterna illa tabernacula, & iſtud ſanctorum concilium ſe receperit, ubi nunc cum fideli Abrahamo, Iſaaco, & Iacobo diverſatur, colloquitur cum Davide, vivit cum Ioſia, ſanctiſsimos Majores ſuos, patremq́; & fratrem amantiſsimum recognoſcit & complectitur. Ex qua bonis omnibus circumfluente beatorum ſede (ſi quis modò eorum, quæ inter nos geruntur, mortuis ſenſus ineſt) cùm veſtros illos gemitus, veſtra ſuſpiria exaudit, cùm lugubrem veſtitum veſtrum, vultum mœrore ſqualidum, manus complicatas, oculos ſui deſiderio in cœlum ſublatos intuetur: etſi non parùm veſtra hac in ſe pietate & benevolentia lætatur: tamen ſi parùm per ſibi, relicta cœli aula, rebus mortalium intereſſe, & in conſpectu veſtro ſeſe ſiſtere liceret: gravi (opinor) & ſevera oratione, increpata veſtra mollicie, in hunc modum vos alloqueretur.

Ecquid eſt, ô Patres civesq́; dilectiſsimi, quòd interitu noſtro tantoperè commoveamini? Noſtra quidem cauſa certè dolendum vobis non eſt, ut qui mortis beneficio, regnum terreſtre cœleſti, laborem quiete, mortalitatem immortalitate com-

commutaverimus. Sed nec Reipublicæ quidem. Quanquam enim præclara de nobis in veſtris omnium animis opinio inſederat: tamen ſingulari Dei beneficio, & admirabili hujus ditionis fortuna, ſuperſtites ſunt generoſiſsimi fratres noſtri, tanto in patriam amore, tanta pietate & virtute præſtantes Principes, ut hoc grave noſtri deſiderium, ſuis in Rempub. beneficiis, ſuo de vobis omnibus benè merendi ſtudio, indies magis magisq́; levaturi videantur. Vos modò (quòd facturos equidem confido) operam date, ut illorum imperio amanter ac fideliter obtemperetis. Vos incredibilem bonitatem Dei, pios & ſalutares principes, ex una eademq́; familia, legitimo ſucceſsionis ordine vobis tribuentis, grata mente agnoſcite & prædicate. Vos vota pro illorum incolumitate & felici gubernatione ardentia ad Deum concipite. Vos conſilia factaq́; omnia ad communem patriæ ſalutem referte: ambitionem & dominandi cupiditatem fugite: concordiam mutuis inter vos officiis, mutua benevolentia fovete. Inprimis autem (quòd cum ipſis patriæ principibus vobis commune erit) nihil prius aut antiquius habete veræ religionis conſervatione: Eccleſiarum & Scholarum curam ad vos pertinere ſtatuite: juventutem liberaliter inſtitui, & piè educari, ad Dei laudem patriæq́; utilitatem, ſedulò & diligenter curate. Nimirùm his rebus piè cogitandis perficiendisq́; vos occupari præſtat, quàm luctu & dolore indecore frangi, cùm quidem fruſtrà deploretur, quòd reparari non poteſt. Ipſe enim immortalitatis jam particeps,

vitam in cœlis beatam ago, Deiq; conſpectu omnium jucundiſsimo dulciſsimoq; fruor.

His (ut opinor) verbis ipſe illuſtriſsimus Princeps, cujus mortui memoriam grata voce nunc proſequimur, à luctu ſi poſſet, ad officii partes, vos Patres civesq; chariſsimi revocaret. Quibus verbis tantùm ponderis autoritatisq; ad vos permovendos ineſſe ſentio, ut plura addere, præſertim lachrymis & dolore fractus, neq; poſsim neq; debeam.

Te tantùm, æterne atq; omnipotens DEUS, cujus opem nemo unquam fruſtrà imploravit, piè ſuppliciterq; oro, ut, quoniam cœleſti tuæ providentiæ placuit, tres illuſtriſsimos Principes noſtros, parentes patriæ, tàm brevi intervallo è terris ſubtractos, cœlis addere: ut, inquam, tu fluctuantem Rempub. noſtram conſerves, tu pacem & concordiam tuearis, tu Eccleſiarum & Scholarum curam in hiſce regionibus ſuſcipias, tu illuſtriſsimos Principes noſtros juniores, paternæ fraternæq; virtutis & ditionis hæredes, Dominos noſtros clementiſsimos, tuo ſancto Spiritu ſic regas & illumines, ut ad tuam gloriam, & communem patriæ ſalutem, benè laudabiliterq; geſta Republica, tùm inclytis hiſce Ducatibus ocium & felicitatem, tùm ſibi ipſis celebre & glorioſum nomen, ad omnem poſteritatis memoriam, pariant atq; relinquant.

DIXI.

ÆNI-

ÆNIGMA CONTINENS ANNVM OBITVS ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, D. ADOLPHI, Ducis Holſatiæ, &c. Qui obiit, Anno Chriſti 1586. Calend. Octob. Ætatis ſuæ 60.

Annis quot Sethi vitam ſuperavit Adamus, 18.
Turribus atq; potens Roma quot antè fuit 634.
In mare quot Nilus diffundit gurgite vaſto 7.
Oſtia: quotq; dies integer annus habet. 365.
Meſſibus Iſacidæ quot ſunt Babylone morati 70.
Captivi: ſtellis quot micat Argo ratis. 35.
Oppida quot priſco numerabant tempore Cretæ, 100.
Indita quot rebus ſunt Elementa ſatis. 4.
Quot Danao natæ fuerant: quot nomina Parcis. 50. 3.
Ad Cremeram Fabios quot cecidiſſe ferunt. 300.
A Chriſto nato tot Sol compleverat orbes,
Lucida qui cœli ſigna pererrat equis.
Maxima Cymbriacæ cum gloria gentis ADOLPHVS
Funere ſublatus præveniente fuit.
Qui genus antiquum Regali ſanguine duxit,
Danica quo gaudet ſceptra gerente domus.
Marte togaq; potens Princeps, quo mitior alter
Imperio haud rexit ſubdita regna ſuo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3290 4° [40:2,-404]

Nec tamen, ulciſci cum dextera debuit hoſtem,
Segnis erat: teſtes Rhenus & Albis erunt,
Et Moſa, & Marſi pubes, & diruta bello
Arx Gotha, Tyrigetûm conſpicienda ſolo.
Mortuus hoc poſuit ſub marmore corpus: ademptum
Pax, Mavors, Pietas, Templa, Scholæq; dolent.

EPI-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3290 4° [40:2,-404]

EPITAPHIUM

ILLUST. PRINCIPIS
AC DOMINI D. FRIDERICI,
Ducis Holſatiæ, &c. Qui obiit, Anno 1587. Die 15. Iunii, Ætatis ſuæ 20.

Hoſpite & Genio colloquentibus.

H. *QVis ſitus hîc? G. Princeps juvenilibus integer annis,*
Vix numerans vitæ bis duo luſtra ſuæ.
H. Ecquod erat nomen? G. FRIDERICVS. *H. Quo patre cretus?*
G. Ille hîc ponè cubans dictus ADOLPHVS *erat.*
H. Patria quæ? G. Rigido præſtans Holſatia Marte
Hunc tulit, hæc illo nunc pereunte dolet.
H. Deditus anne fuit ſtudiis? G. His ſedulus ipſe
Invigilans, Clariis ora rigavit aquis.
H. Quæ Divæ fundunt lachrymas? G. Sapientia, (Muſæ,
Pubertas, ſciſſis Relligioq́ comis.
H. Nemo nè prætereà? G. Tota inclyta patria luget,
Quòd Princeps tantis dotibus auctus obit.
Teq́ rogat ſecum lachrymarum fundere rivos.
Hoc fac, & incœptum carpe Viator iter.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3290 4° [40:2,-404]

ἀποστροφὴ θρηνώδης

AD ILLVST. PRINCIPEM AC DOMINVM, DOMINVM PHILIPPVM, DVCEM Holſatiæ, &c. Qui obiit, Anno 1590. die 18. Octob. Ætatis ſuæ 21.

ERgò tàm ſubitò, primo ſub flore juventæ,
Tu quoq; nos linquens tabe PHILIPPE *cadis?*
Tabe PHILIPPE *cadis, quo nobis tempore vita*
Inprimis poterat conſuluiſſe tua.
O miſeram ſortem noſtram, lachrymoſaq; fata,
Eheu offenſi quam gravis ira Dei eſt.
Te Deus Heroo donarat pectore, quale
Magna effecturis regibus eſſe ſolet.
Tu caput extuleras Clarias juvenile per artes,
Viſaq; ſunt puero magna Lycea tibi.
Maxima ſpes nobis Duce te concepta ſalutis,
Atq; ſtatus patriæ proſperioris erat.
Te commendabant pietas atq; ardor honeſti,
Cura tibi placidæ maxima pacis erat.
Tu poteras nobis, tanto in diſcrimine rerum,
Speratæ certam ferre ſalutis opem.
Te lætabantur mater, fratresq;, boniq;,
Quos tenet amplexu Cymbria cunq; ſuo.
Aſt nunc ante diem ſubita te morte peremptum
Abſtulit abrupta parca ſevera colo.

Opti-

Optima ſic manibus rapiuntur ſemper avaris,
Et quæ ferre valent commoda, prima cadunt.
Scilicet hoc faciunt noſtræ fœdiſſima vitæ
Crimina, quæ ſequitur vindicis ira Dei.
Noſtraq; pigrities facit hoc, lentorq; precandi,
Tam citò quòd terras deſeris ipſe tuas.
Ergò emendemus vitam, Fratrumq; precemur
Imperium felix ut Deus eſſe velit.

Nicolaus Cornopæus F.

Errata Typographica ſic corrigantur.

A 4. facie 2. linea 16. lege, totaq;.
B 1. f. 2. l. 6. lege, intra ditionis.
B 2. f. 1. l. 29. lege, viro principi.
B 3. f. 1. l. 10. lege, voluptate.
C 3. f. 1. 28. lege, honeſtiſſimarum artium.

Cætera prudens lector ipſe emendabit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3290 4° [40:2,-404]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3290 4° [40:2,-404]

3290.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3290 4° [40:2,-404]